

nium seu evidentiam firmiorem sigillum meum presentibus est appensum. Scriptum Stockholmis anno Domini m<sup>o</sup>ccc<sup>o</sup>xl<sup>o</sup>nono in sexto die pentecostes.

Sigillet har enligt ritningen varit bortfallet.

4443.

1349 Juni 5.<sup>1)</sup>

Lund.

Ärkebiskop Peter i Lund, dekanen Henrik Bocholt, ärkedjeknen Knut, kantorn Johan Jönsson och hela domkapitlet meddela att fru Cecilia, borgaren Henrik Fredrikssons enka, stiftat ett diakon- och kanikprebende och till detsamma, äfvensom till kanikbordet, till utdelningar bland kanikerna i Lunds kor och för hennes eget anniversarium skänkt åtskillig egendom i Skåne; redogöra för hennes öfriga anordningar och antaga enhälligt akolyten Johan Henriksson till kanik och prebendeinnehafvare.

Registr. Eccl. Lundens. perg. p. 125.

Vniuersis presentes litteras inspecturis Petrus, Dei gracia Lundensis archiepiscopus, Suecie primas, Henricus Bocholt decanus, Kanutus archidiaconus, Johannes Jönsson cantor totumque capitulum Lundense salutem in Domino sempiternam. Constare volumus vniuersis, presentibus et futuris, quod sub anno Domini mcccxl<sup>o</sup>nono quinta die mensis Junii constituta coram nobis personaliter sapiens mulier et discreta vidua, domina Cecilia, relicta Henrici Fridrikson, quondam ciuis Lundensis, vnam prebendam dyaconalem et canonicalem in ecclesia nostra Lundensi de nostro vnanimi consensu et voluntate de bonis suis propriis cum omnibus iuribus, minutis et grossis, ad eandem prebendam canonicè spectantibus, in honorem Dei patris omnipotentis, beate virginis Marie ac beati Laurentii martyris gloriosi et anime sue remedium fecit, ordinauit, dotauit et construxit cum bonis infrascriptis, que tam coram nobis archiepiscopo, quam in placito generali Scanie sabbato proximo ante dominicam sancte Trinitatis jam transactam rite scotauit cum estimacionibus et omnibus suis pertinenciis, videlicet bona sua omnia et singula in Quærnby, vnam marcham annone singulis annis in pensione valencia, curiam suam principalem in Gryfiæ, de qua dantur sex ore cum solido annone, ac vnam curiam suam in Karlaby, dimidiam marcham annone valentem annuatim, ad mensam autem canonicorum bona sua omnia et singula in parrochia Glimagra Swenetorp et Karlstorp sita, quatuor marcas denariorum nouorum Scaniensium vel lagenam butiri valencia, omnia bona sua in Trænæ, quinque marcas denariorum valencia, et omnia bona sua in Vddatorp, in parrochia Skiperslöff sita, septem marcas denariorum valencia, quorum summa tenet sedecim marcas denariorum nouorum Scaniensium in redditibus annuatim, item tres curias in Hælstorp, septem oras cum solido annone soluentes annuatim, vnam curiam in Myelæste Græföghe, dantem decem et octo oras denariorum et vnam coloniam in Byældorpmakle, valentem vi oras denariorum, de quibus in toto soluuntur triginta marce denariorum nouorum Scaniensium in redditibus annuatim, deputauit. Pro distributionibus vero in choro Lundensi inter omnes canonicos faciendis assignauit vnam curiam principalem in Hunabiergh, dantes(!) duas oras annone et

<sup>1)</sup> För dateringen har valts den förra af de i brevet uppgifna dagarne. Då trinitatissöndagen, detta år den 7 Juni, omtalas såsom redan förliden, måste brevet ha blifvit senare uppsatt och antedateradt.

dimidiam lagenam butiri, item duas colonias ibidem, soluentes quatuordecim oras denariorum, item in Hasleholt, dantes(!) vnam lagenam cum dimidia butiri, item in Krakenryt vnam curiam, de qua datur dimidia lagena butiri, item duas curias minores in Græfie, retinentes vnam quadrantem terre cum dimidia, valentes quinque marchas cum duabus oris denariorum annuatim, tali adiecta condicione, quod dicte domine Cecilie viuenti(!) secundo die post anniuersarium dilecti mariti, sui Henrici Frethriksson bone memorie vna missa de domina nostra in choro nostro Lundensi celebretur, post discessum vero predictæ domine Cecilie eadem missa in choro predicto celebranda die anniuersarii sui ob remedium anime sue in missam animarum transmutetur. Item pro anniuersario suo in choro nostro Lundensis ecclesie annuatim post obitum suum celebrando tradidit canonicis Lundensibus ipsa domina Cecilia vnam curiam suam in Methlæstæ Græföghe, in qua Magnus Olaffson residet, soluens annuatim tres oras annone, de qua quidem annona distribuatur canonicis, qui vigiliis et misse sui anniuersarii presencialiter interfuerint, ora annone, vicariis vero, qui eciam vigiliis et misse presentes fuerint, duo solidi annone et pauperibus scholaribus, consimiliter in choro existentibus et tria psalteria legentibus, precium solidi annone tribuatur, ita tamen quod pulsantes [-ibus] in turri vnam oram(!) denariorum de ipso precio solidi annone pro suis laboribus assignetur, et residua ora annone ad celebrationem missarum omnium altarium in ecclesia Lundensi, quotquot sunt vel qui pro tempore fuerint, ipsa viuente, pro anima Henrici, predicti mariti sui, die beate Agathe virginis assignetur, ipsa vero mortua, dicta ora annone ad predicta altaria singulariter pro anima ipsius domine Cecilie die anniuersarii sui distribuatur pro missis celebrandis. Predicta insuper domina Cecilia coram nobis bona omnia et singula supradicta, modis et condicionibus superius expressatis, cum agris, pratis, pascuis, siluis, piscaturis, domibus, estimacionibus, redditibus, venacionibus, molendinorum locis cum aquis dictis dam et damsband, aqueductu ceterisque ipsorum bonorum pertinenciis, humidis et siccis quibuscunque, nullo excepto, tradidit jure perpetuo possidenda, obligans se et heredes suos nobis ipsa bona omnia et singula cum singulis suis pertinenciis appropriare et liberare ab inpeticione quorumcunque. Ad quam quidem prebendam cum omnibus predictis eiusdem canonie pertinenciis et ceteris aliis juribus nullis exceptis, concanonicis nostre ecclesie aliquid attinentibus, Johannem Henriksson acolitum vnanimi consensu in canonicum assumpsimus et eandem prebendam nos Petrus, archiepiscopus predictus, sibi rite contulimus et per anulum nostrum inuestiuimus de eadem, stallo sibi in choro boriali et loco in capitulo assignatis. Quare nos omnia et singula bona predicta cum condicionibus infrascriptis sub libertate et immunitate sancte matris ecclesie, in quantum Deus nos permiserit, per presentes obligamus fideliter et inuiolabiliter obseruare. In cuius facti euidenciam, testimonium et cautelam sigilla nostra presentibus duximus apponenda Actum et datum Lundis in domo capitulari nostre Lundensis ecclesie anno et die supradictis.

Jämf. S. D. n. 4258, under hvars öfverskrift denna urkund hör; dess egen lyder: sequitur littera principalis.